

q Ioan. 4.

XVIII.

r Ioan. 4.
v. 35.
f Levi. 13.

XIX.

c Matth. 14.
Mar. 6.
Luc. 1.
DE IOAN-
NIS BAPT.
CARCERE.
u Io. 18. ant.
7.
DE HERO-
DIADAE.x Io. 17. ant.
8. 10. 13.y Hagesip de
excid. Hieros.
lib. 2. cap. 4.z Io. 18. ant.
7.a Tert. ad-
vers. Mar-
cion. 1. 4. c. 34.

tos, sed ipsos baptizasse se alios tunc temporis cum Christus baptizasse dicitur. Nam baptizandi opus à se inchoatum per suos eum perfecisse, omnes æque affirmant, ex sententiâ Ioannis³, dicentis quod Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.

Cæterum permanisse Iesum in Iudæâ saltem usque ad mensem Novembrem, eâ ratione necessarii concludendum videretur, quod non inde recesserit nisi quatuor mensibus (ut ipsemet⁴ significavit) ante messem: certum autem sit⁵ iam tempore Paschæ offerri solere manipulum spicarum. Vt autem inde recederet, & in Galilæam rediret; duâ in Evangelio causæ redduntur; altera ut cederet invidiâ Pharisæorum, qui cum magis Ioannem observarent quam Christum, iniquo ferebant animo plures accedere ad baptismum Christi quam Ioannis: altera, quod audivisset Ioannem ab Herode Tetrarchâ Galilææ esse detrusum in carcerem. Itaque eò sibi esse veniendum putavit Christus, ut ubi cæperat prædicatio veritatis, ibi magis ac magis coalesceret; & ubi desierat Ioannes, inde ipse Christus exordiretur prædicare penitentiam.

Quæ autem causâ præcesserit vinculorum Ioannis, ea describitur ab Evangelistis⁶, quod Herodem reprehenderet de Herodiade uxore fratris sui Philippi, quam ipse Herodes sibi abduxerat. Describit eandem historiam de amoribus Herodis cum Herodiade, & carcere ac nece Ioannis, Iosephus⁷; sed multa more suo perperam miscens, quæ manifesti ab aliis mendacij coarguuntur. Veluti, quod Herodiam dicat uxorem suam, non Philippi, sed Herodis nescio cuius; quem cum perpetuo alibi tacuerit dum maxima fuit occasio eum recensendi⁸, modo finxit veteris Herodis filium ex Mariamne Simonis Pontificis filia. Porro eiusdem Herodiadis filiam, Salomen dictam, ex eodem incognito Herode genitam, nuptui vult traditam Philippo Tetrarchæ: cum tamen eiusdem Philippi ipsam Herodiam uxorem fuisse, tum Evangelistæ, tum alij testentur historia⁹. Herodiadem autem filiam fuisse Aristobuli filij veteris Herodis, & fratris ipsorum Herodis Antipæ atque Philippi, testatur idem Iosephus¹⁰ aliique consentiunt. Cuius item auctoritate constat, illam quæ antea eidem Herodi nupserrat, quamque ille eiecit ut Herodiadem lubintroduceret, filiam extitisse Aretæ Regis Arabiæ Petreæ; atque eâ de causâ bello inter eos confato, exercitum Herodis deletum esse. Quod autem Herodis in Ioan- nem commotionis eam adfert causam, quod vereretur ne summa hominis apud populum auctoritas defectionem aliquam pareret; refellitur ab Evangelistis, dum ipsi (ut vidimus) id coniungisse dicunt quod à Ioanne Herodes de inceltu Herodiadis redargueretur. At de nece Ioannis dicitur inferius suo loco. Nunc vero non prætermittamus dicere, locum istum Evangelistarum à Montanistis fuisse depravatum: qui ad struendam hæresim de monogamiâ, quod viduæ non liceret ulterius virum ducere, adiecerunt ut perperam legerent, Herodem duxisse fratris sui defuncti uxorem: prout etiam Tertullianus¹¹, qui eum dem cum illis defendebat errorem, aliquan-

do legit.

Venturus autem Iesus in Galilæam; transiens per Samariam habuit ad fontem Iacob sermonem cum muliere Samaritanâ, eandemque primum averfantem ipsius tanquam hominis Iudæi colloquium, paulatim ad veritatis cognitionem & ad meliorem frugem, plurimisque insuper Samaritanorum ad fidem perduxit. Rem gestam fufius describit Evangelista¹². De separatione vero abinvenit Iudæorum & Samaritanorum, quæ ob diversitatem religionis intercessit, cum Samaritani profanum solum in monte Garizim ædificatum templum Hierosolymitano anteponebant; pluribus agitur tum in sacris¹³ libris, tum apud Iosephum¹⁴. Ad puteum autem Iacob, qui & fons dictus est, in memoriam præsentia Domini atque sessionis, postea erectam esse Ecclesiam, testes sunt Hieronymus¹⁵ & Beda¹⁶.

Post hæc Iesus iterum veniens¹⁷ in Cana Galilææ, sanavit filium Reguli cuiusdam absentem. Ac dein de¹⁸ relicta Nazareth, habitavit in civitate Capharnaum maritima, quam ideo Matheus¹⁹ appellat civitatem ipsius. Quod autem illic potius quam in aliis Galilææ civitatibus diutius egerit, ea ratio offerri solet, quod frequentior illuc esset accessus undique hominum mercaturæ causâ. Vnde & factum est, (quod subdit Matheus²⁰) ut cum circuiret totam Galilæam prædicans Evangelium, & sanans omnes infirmitates, abierit fama eius in omnem Syriam.

Hæc vero famâ pernotum Abgarum, sive Abagarum, Regem Edessæ civitatis Syriæ, scripsisse ad eum perhibent epistolam, quâ illum Edessam invitaret, tum ad fugiendos insultus Iudæorum, tum ut ipsum Abgarum a morbo quo torquebatur liberaret; rescripsisse vero Dominum, & laudasse eum de fide, se vero excusasse, quod iis ad quæ missus esset occupatus, a Iudæis recedere non posset: ceterum missum se post suam assumptionem unum ex discipulis suis, qui ei sanitatem restitueret, & vitam impertiret. Quas quidem epistolas è tabulis publicis Edessæ civitatis descriptas, atque è Syriacâ lingua in Græcam translata, historia suæ Eusebius²¹ intexit; sed quod eæ non reperiantur ab Evangelistis conscriptæ, idcirco Gelasius²² Papa inter scripta apocrypha adnumeravit; non tamen ut eas omnino proscribat, sicut nec complures alios libros, quos proximè recensuit: fuisse vero absque aliquâ dubitatione ab antiquioribus receptas, evidenter testatur epistola Darij²³ Comitæ ad sanctum Augustinum; & ante Augustini tempora egregiam de illis habuit mentionem sanctam Ephræm ipsiusmet civitatis Edessæ diaconus, in eo opusculo cuius est titulus *Testamentum Ephræm*: agitur de iisdem Theodoros Studita in epist. ad Palchalem Papam: sed & eandem ipsam quæ scripta est à Domino ad Abgarum, adhuc temporibus Michaelis Paphlagonis, qui imperium auspicatus est anno Domini millesimo trigesimo quarto, extitisse integram, & in honore habitam, Cedrenus²⁴ est auctor. Attamen non hæc a nobis ita sint recitata, ut apocrypha in hagiographa transferri velimus; sed ne ea quis omnino contemnenda existimet, quæ

XX.

IESUS VENIT SAMARIAM.

b Ioan. 4.

c 4. Reg. 17.
c 18.
d Io. 11. ant.
7. c 8. c 12
13. cap. 6.
e Hier. de loc.
Hebr. in Ad.
f Bed. de loc.
Sanct. cap. 15.

XXI.

g Ioan. 4.
h Matth. 4.
Mar. 1.
Luc. 4.
i Matth. 9.

x Matth. 4.

XXII.

ABGARUS SCRIBIT AD IESUM.

DE FIDE

HARUM EPISTOLARUM.
l Encl. 1. h. 13
m Gelas. decret. de lib. apocry.

n Ap. Aug. ep. 263.

o Cedr. in comp.

maiores